



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Pvrificatio B. M. V. 2. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

ipse infans solvit, & contra matrem testimonium dixit. Tacebimus igitur nos. BRIGITTAM rectius hic infans laudabit. *Ex Sur. & Lippelso.*

*Ira vincitur lenitate; mansuetudine extinguatur furor; malitia bonitate palpatur; crudelitas pietate prosternitur; impatientia patientiâ punitur; contentio superatur injuriis; superbiam humilitas sternit: qui ergo vult vitia vincere, pietatis arma teneat, nos furoris. S. Pet. Chrysol. serm. 38.*

## PURIFICATIO B. M. V. 2 Februarij

**I**bat dies à partu VIRGINEO quadragesimus, primus quo terra dignum aliquando cælo donum offerret. Gestabat hoc præ pectore Virgō nuper, nunc geminâ felicitate Mater Virgo: latus Iosephus claudebat, virgo virginis virginem gestantis comes. Gerebat illa munus in sinu, iste in oculis; ardebat euntibus cælum; & spectatores cives suos plenis agminibus effuderat; exiliebat lætitiâ tellus, & ad singula pedum vestigia singula funderè lilia gestiebat: cùm interim jam Hierosolyman, jam templum pompa ingreditur, & obuius adest felix ille longâ ætate senex, felicior aspectu Servatoris futurus, felicissimè in vitæ amplexu vitam positurus. Ergo in genua procumbit Virgo purissima, donumque cælo dicat, quo nec terra dare, nec cælum expetere majus poterat. Quid hîc dicam? parce nimium Mater prodiga. Poteras charum pignus à pectore avellere? poteras alienis manibus unicum Filium concedere? & talem Filium? & tu, ô Puer IESU suavissime, poteras abire sinu tam dulci? poteras aliis ulnis quàm Matris, in ulnis delitescere? Ite nunc parentes avari, qui Deo

negas



negatis prolem, orco datis: ite molles filij, qui pluris avocantem patrem, quàm DEVM vocantem, pluris unam matris lacrimam, quàm omnem IESV sanguinem facitis ingrati. Ite & utrique aratis florem discite non mundo, sed templis, sed aris, sed Deo dicare. *Ex Histor. Evangel.*

*Mariam ó fidelis anima imitare, ut enim spiritualiter purificeris, & à delictorum valeas emundari contagijs, in templum cordis tui ingredi, & Deo per orationis studiũ ac contemplationis otium vacare contende. S. Laur. Iust. serm. de Purific.*

S. BLASIVS EP. ET M. 3. Februarij

**B**LASIVS Sebastenus Episcopus in montem Argæum secessit, inde velut ex speculâ gregi suo advigilaturus; ubi feras ad omne genus officij obsequentes habuit; fuitque tam sedulæ servitutis stipendium benè precari stato tempore confluentibus. Subinde cum indagine mons cingeretur, nobile venationis auctarium BLASIVS accessit. Dum ad quæstionem rapitur, non paucis salutem attulit, inter quos filium memorant unicum unicè matri suæ dilectum, cui de pisce spina fauces obsidens loquelam jam eripuerat, vitam etiam ereptura, nisi prior eam è gutture BLASIVS rapuisset. Atque hoc est, quod à majoribus edocti simili in periculo similem Divi opem hodieque imploramus. Cæterùm ab hominibus ad feras, non à feris ad homines dices migrasse, ita barbarè ab Agricolaio sudibus secundùm acceptus est. Ejus sanguinem cum septem matronæ legissent, ipsæ quoque verberibus laceratæ, in candidissimæ innocentia testimonium non nisi lac per vulnera egeserunt, quod tamen ipsum mox capite truncatæ pulchrè